

CCIII.

Anno 1626. die 24. Maji. Vienna.

Ferdinandus II. Rex SS. et OO. de commissione praesidii Petrinensis causa exmissa edocet unaque eosdem ad co-operandum provocat.

Ferdinandus Secundus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex.

Reverende, Honorabiles, Spectabiles, Magnifici, Egregij et Nobiles, fideles nobis dilecti. Inter reliqua adminicula et media, quibus Status publicus et Regnorum ac Provinciarum Jura ditionesque sarta ac tecta conservantur, et Tranquillitas securitasque paratur, non postremum locum habere de Confinijs peculiaris cura haud dubie reputari debet, polissimum vero ijs in locis, ubi et hostis circumiacet, isque eius sit naturae et instituti, quae experientia ipsa de ipsis conducet, ut merito de securitate exigua assecuratio promitti possit. Hinc est, quod in bonum Regni istius nostri Sclauoniae et ditionum adiacentium defensionem et conservationem nos quoque animum intendentes, in hac etiam parte quantum uspiam temporis moderni conditio ferret, operam et subsidium impendi faceremus. Ordinavimus proinde inter caeteras confiniorum necessitates, per certos Commissarios nostros perlustrandas, ut etiam de restauratione et fortificatione Praesidij Petri-nensis singularem curam assumerent, et perlustratione indagationeque necessitatum habita absque dilationibus longioribus de applicatione manuum ad requisitas operas, quantocius debita media et ordinationes instituerentur. Id quod ad fidelitatem Vestrarum quoque notitiam venire volumus, ut et salutis permansionisque Regni istius nobis curam esse agnosceretis, et simul pro parte Vestra quoque in beneficium vestrum, si qua opus foret, et Regni quoque communis assistentia requireretur, id pro emolumento et bono proprio et publico prompte atque alacriter praestare haud quaquam gravamini. Quod quidem de fidelitatibus vestris, nobis benigne pollicemur. Quibus etiam in reliquo gratia nostra propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna vigesima quarta Mensis Maji. Anno Domini M.D.C.XXVI.

Ferdinandus.

Laurentius Ferenczffy.